Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

habemus in animo commune cum pecore, restat adhuc dici ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus homo exterior deputabitur, sed adiuncta quadam vita sua qua compages corporis et omnes sensus vigent quibus instructus est ad exteriora sentienda. Quorum sensorum imagines infixae in memoria cum recordando revisuntur, res adhuc agitur ad exteriorem hominem pertinens. Atque in his omnibus non distamus a pecore nisi quod figura non proni sed erecti sumus. Qua re ammonemur ab eo qui nos fecit ne meliore nostri parte id est animo similes pecoribus simus a quibus corporis erectione distamus. Non ut in ea quae sublimia sunt in corporibus animum proiciamus. Nam vel in talibus quietem voluntatis appetere prosternere est animum. Sed sicut corpus ad ea quae excelsa sunt corporum id est ad caelestia naturaliter erectum est, sic animus qui substantia spiritalis est ad ea quae sunt in spiritalibus excelsa erigendus est. Non elatione superbiae sed pietate iustitiae.

Corporales sensus communes nobis esse cum pecore, sed proprium esse hominis de his quae sensu corporis comprehendit secundum aeternas iudicare rationes.

Possunt autem et pecora et sentire per corporis sensum extrinsecus corporalia et ea memoriae fixa reminisci atque in eis appetere conducibilia, fugere incommoda. Sed ea notare ac non solum naturaliter rapta sed etiam industria memoriae commendare ac retinere et in oblivionem iamque labentia recordando atque cogitando rursus imprimere, ut quemadmodum ex eo quod gerit memoria cogitatio formatur, sic et ipsum quod in memoria est adsuadendo cogitatione firmetur. Fictas etiam visiones hinc atque inde recordata quaelibet sumendo et quasi componere inspicere. Quemadmodum in hoc rerum genere quae